Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26143
Copyright: Admont, Benediktinerstift

xl. sponsum. qui nequaquam suam velit te in dulcedine presentia pre-
sentari cetibus. Secede ergo. sed mente non corpore. sed intentione. sed devotione.
sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus dominus spiritus requirit non corporis solitu-
dinem. quamquam et corpore interdum non otiose te separas. cum oportune po-
tes. presertim in tempore orationis. Tenes et nam in hoc mandatum sponsi et formam.
Tu inquit cum oraveris intra in cubiculum tuum. et clauso ostio ora. Et quod dixit fecit. Solus
in oratione pernoctabat non modo abscondens se a turbis. sed ne ulli quidem de
discipulorum. nec ulli domesticorum admittens. Denique tres secum inti-
sibi mos adduxerat. cum ultro properaret ad mortem. avulsus est et ab ipsis
orare volens. Hoc et tu fac similiter quando orare volueris. De cetero
sola in dicitur tibi mentis et spiritus solitudo. Sola es si non communia cogitas. si
non affectes presentia. si despicias que multi suspiciunt. si fastidias que omnes
si iurgia de uites. desiderant. si dampna non sentias. si non recorderis iniurias. alioquin nec
si sola corpore es. sola es. Videsne te posse esse et solam inter multos. et inter
multos solam. Sola es in quantacumque hominum verseris frequentia. tantum
cave aliene conversationis esse aut curiosus explorator. aut temerarius
iudex. Etiam si perperam actum quid deprehendis. nec sic iudices proximum.
magis autem excusa. Excusa intentionem. si opus non potes. puta ignoran-
tiam. puta subreptionem. puta casum. Quod si omnem omnino dissimu-
lationem rei certitudo recusat. suade nichilominus tibi ipse. et dicito
apud temetipsum. Vehemens fuit nimis temptatio. Quid de me illa fe-
cisset. si accepisset in me similiter potestatem. Et memento me modo al-
loqui sponsam. et non amicum sponsi instruere. cui alia ratio est diligen-
ter observandi. ne ipse peccet. et explorandi an peccet. et emendandi
si peccatum fuerit. A qua sane necessitate tu sponsa libera es. soli vivens
tibi et ipsi quem diligis. sponso pariter et domino suo. qui est deus benedictus
in secula. amen.

xli. COLLUM tuum sicut monilia. Solet ornari collum monilibus non ipsis
comparari. Sed hoc ille faciant. quibus quia de proprio non est decor. ali-
unde necesse est ut mendicent unde se speciosas mentiantur. Nam sponse
collum ita in semetipso formosum et tam decens quasi natura forma-
tum est. ut extrinsecus non requirat ornatum. Quid enim opus est peregrinorum
fucos adhibere colorum. cui propria et tam innata sufficit pulchritudo.
imitantium ut ipsorum quoque que adornandum querunt monilium